



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 133. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset. v. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

dem jure merito, quoniam eum à se ablegarunt, & gentibus tradiderunt, & sic utrisque factus est redemptio & salus.

Eccel peccator, pro te hodie traditur Dominus in manus gentilium, & ducitur ad Pilatum breui educendus ad supplicium.

Ecce quomodo innocens Iosephus à fratribus suis traditur Ismaelitis: Ecce quomodo fortissimus noster Sampson traditur à sua Dalila, id est Synagoga, in manus Philistinorum incircumcisorum.

**S**urge ergò, anima mea, sequere Dominum tuum, sequere sanctissima vestigia humilitatis eius, patientiæ, obedientiæ & resignationis usque ad mortem crucis: sed & ô clementissime Deus, miserere miserimæ creaturæ tuæ, quando quidem magnam tibi confiteor infirmitatem & perversitatem meam qua & ego te sæpe à me repali & alijs tradidi. Nihilominus adiuua me Domine Deus, ut te sequar & me ipsum abnegem, naturamque meam voluptuariam ita crucifigam, ut peccato ad sanguinem usque reluctet, nihil enim possum absque auxilio gratiæ tuæ.

§. 133. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset. v. 3.*

Hic Evangelista relicto tantisper Christo apud Pontium Pilatum præsidem, describit, quid fecerit Iudas Traditor, quonam deuenit, & quomodo peccatum traditionis in illo confestim fuerit punitum, ut vel sic abstererentur cæteri socij Iudæ. Ait autem: Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, hoc est quando vidit præter suam opinionem Iudas qui eum tradidit, (ad distinctionem Iudæ Thadæi discipuli Christi fidelis) quod Christus damnatus esset in concilio Iudæorum, Seniorum & Principum, & quod iam traditus esset præsidi Romanorum ad exequendam sententiam mortis, purabat enim forte avarus homo & fur aut liberandum Christum per Iudæos ob varia in eos beneficia, aut euasurum è manibus eorum sicut alias, aut facinus suum, in seruore concupiscentiæ suæ pecuniariæ, non ita ponderauerat, pœnituit eum facti, non solum propter offensum Deum, sed quod omne in posterum pecuniæ in Christi familia tractandæ & usurpandæ commercium ac lucrum amicæ cessaret, abrogatâ familia, cuius ipse fuisset procurator, temporaliumque custos, & proinde inermis, sine auctoritate omni, imo inglorius & contemptus apud omnes esset futurus, quæ consideratio & metus inde proueniens ad eum in homine cupiditatibus dedito intumuerunt, ut collatione pecuniariæ summæ adeo paruæ, & mali sui, in quod se ingererat, adeo vasti, animo linguæ, & vertigine inquietudineque immani, veluti intemperie quadam Melancholica agitari inciperet. Ita ut in corde eius tanquam in theatro quodam confusio, cupiditas, damnum,

L

con-

conscientiaque & omnia mala eliminatis cunctis bonis tumultuari videntur fera æstimatione cuncta in maius efferente supra ipsam mundi magnitudinem.

**O** Christe hominum redemptor, quam grande est tormentum conscientia sceleribus inquinata, imo vel uno crimine deturpata! certe omnia mundi monstra non sunt monstra comparatione illius, malum ingens, horrendum, infandum! & quid erit, si quis in inferno talium monstrorū milliones aspicere cogatur? vere bene dictum est, à quibusdam DD. quod conscientia magis damnatos affligat, quam ipsi dolores infernalis ignis, & ideo fortasse ita tenebras amant damnari quo monstrositas hæc sua lateat, nec ipsi eam in luce intueri cogantur. O lucis creator optime aspice me, & aspiciendo corrige me, ut semper filius lucis esse velim, & non cum Iuda in tenebras primum, deinde in tam enormem cruciatum me conijciam.

S. 134. *Retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & senioribus. v. 3.*

Vulgare dictum est, Res aliena clamat ad Dominum, nec tantum ad hominem qui eam prius possidebat, sed multo valentius ad Deum, teste S. Iacobo, ubi ait, *Ecce merces operariorum, qua fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Non temerè positum est, in aures Domini Sabaoth id est exercituum, quo scias non defuturos illi satellites, si priuatus es: exercitus si princeps, quibus & rem quam occupasti Domino reddat, & te in ius ad suam tribunal trahat. denique tantus est rei clamoralienæ, ut eum ne Iudæ quidem conscientia ferre potuerit, quin statim argenteos male quæsitos referret, & cum non reciperentur, in templo proijceret: atque is quidem non tam male partam pecuniam Dominis restituit, quam factum infectum reddere voluit, & animo turbato qua via alia, se scelere tanto exonerare posset, non vidit. Nam quia scelus suum venderat, pecuniam abominabili lucro suam fecerat quare & agrum quem ex illa emere Iudæi, B. Petrus merito ait Iudæ fuisse, licet is nunquam eum emerit, nunquam eo frui potuerit. *Possedit, inquit, agrum de mercede iniquitatis.* Tam gravis est pecunia male quæsitæ, ut etiam si ea iam parra sit, & in possessionem veram propriamque transuerit, nemo tamen eam ferre, nec Iudas nec templum, nec sacerdotes omnes simul potuerint. Quis ergo non eos Iudæ peiores esse dicat, qui rerum quarum nunquam nec jure, nec virtute Domini effecti sunt, occupatam semel possessionem dimittere cunctantur.

**D**omine si tam periculosa res est habere pecuniam propriam, scelere partam quid erit habere cum scelere rem alienam? obsecro ergo etiam  
atque